



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

Provincia Boetica.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67277](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67277)



# PROVINCIA BOETICA.

DOMVS BOETICA



**Q**VINDE CIM domicilijs, in quibus quadringenti quinquaginta quatuor operantur Socij, Prouincia Boetica continetur. Sacerdotes centum octoginta, totidem coadiutores vno addito, & nonaginta duo scholares. Hispali in Professorum domo triginta sex sacerdotes, totidem coadiutores. In collegio vnus & viginti Sacerdotes, viginti quatuor scholares, viginti coadiutores. In seminario Anglicano quatuor Sacerdotes, coadiutores sex. In collegio Cordubensi Sacerdotes septem & viginti, quatuor minus scholares, duodeviginti coadiutores. In Granatensi vnus & viginti Sacerdotes, scholares nouem, coadiutores viginti sex. In Collegio Montellano, cui est tyrocinium annexum, Sacerdotes decem, nouitij literis imbuendi triginta, coadiutores veterani & tyrones viginti. In Malacensi Sacerdotes decem, scholares duo, coadiutores yndecim. In Baerano sex Sacerdotes & totidem coadiutores. In Triguerensi decem Sacerdotes, coadiutores nouem. In Marchenensi Sacerdotes sex, coadiutores septem. In Astigitano Sacerdotes septem, scholares, & coadiutores quaterni. In Gaditano seni Patres & Fratres.

Theologic

In Xerenſi quinque Sacerdotes, vno minus coadiutores. In Cazorlano ſepteni & Patres & coadiutores. In Vbedano quatuor Sacerdotes, coadiutores duo. Ex his octo Theologiam, vnus de officijs rationes, ſex Philoſophiam, duo ſupra viginti Latinitatem profitentur. Quinque Patres & octo Fratres mercedem laborum ſuorum acceperunt à Domino. Sacerdos autem vnus, ſcholares viginti, coadiutores decem ad opus vocati ſe tyrociniſ exercitationibus fingunt tanti operis dignos operarios.

## DOMVS PROFESSA HISPALENSIS.

**N**E tanta rerum ſimilitudo multum afferat ſati-  
etatis & ſtidiſ, communia Societatis no-  
ſtræ munia, quæ vel me tacente loquuntur, ex  
præſcripto prætermittam. Quid enim dicam  
confeſſiones vel à prima ætate repetitas toto anno fre-  
quentiſſimas: lites compoſitas: concubinas exactas: diſsi-  
dentes reconciliatos: reſtitutiones factas: elementarios  
pueros inſtitutos: ægrotos viſitados; morientes adiutos:  
catechiſmi explicationem per vicos & compita; mulier-  
culas è vago concubitu extractas; habitas cum ingenti  
fructu conciones: admirabiles animorum commutatio-  
nes: aliaque ſimilia quæ æſtimata magis, quàm narrata de-  
lectant? cùm Noſtris maximè proprium ſit hoc appetere,  
& vbique præſtare, ac de omnibus Societatis domicilijs  
eadem poſſint referri? His igitur de quocunq; Collegio  
intellectis, propria vnius cuiuſque breuiter attingam.

Initium igitur ducam ab exitu feliciffimo duorum Pa-  
trum, quibus Profeſſorum domus orbata eſt, quorum al-  
ter Io. de Molina Cordubæ natus, Sacerdos iam, &  
Theologiæ

Theologiæ honore decoratus fugacium rerum cura contempta in Societatem se nostram conclusit, vbi annos sex & triginta posuit, cum ingenti animarum lucro, stabili laborandi studio, & raro Nostrorum exemplo. Et quamuis in omni virtutum genere præstiterit, ita feruido charitatis amore flagrabat, vt hæc, cum vox viresque deficerent, augeretur, & defessus peneque exhaustus ne robustissimis quidem in excipiendis confessionum laboribus concederet, gestiretque animus omnium labores suscipere, vt omnes Christo lucrifaceret, vbique suauis, qua nobilitabatur natura & eloquio, summos & infimos alliciebat: & cum totum sæpe mane in expiandis occuparetur animis, foras egressus vesperi, diuersa loca percurrerebat, ludos prophanos dissipabat, conciones salutare habebat, ad pœnitentiam excitabat, & multos concinentes in templum precabundos, & confitendos deducebat; effigiem dices primorum parentum; & tamen se nulli vltui credebat aptum, vilioribusque vsus rebus, vel necessaria ad victum & vestitum respuebat. His & alijs pietatis operibus intentum, virtutibus plenum & laboribus exhaustum supremus dies occupauit, qui & domi & foris Apostolus habebatur.

ALTER P. Petrus de Monroi, vir omni pietate, sed præcipuè despicientia sui, & paupertatis amore conspicuus, de cuius vita sanctissimè acta, æstimatu quàm dictu maiore paucis nonnulla dabo Nostris incitamenta virtutum. Parente orbatus utroque, hereditatem adiit satis amplam pudicitæ Caribdim, qua & vanitatis vento in adolescentiæ fretum celeriter abreptus naufragij periculum patiebatur. Subuenit periclitanti Deus funiculo diuini afflatus, vt se ad Religionis portum recipiat. Dissimulat ille, vel negligit, & Dei vocem procrastinando contemnit; perstat Deus & instat, tergiuersatur iuuenis delicijs deditus; sed contra torrentem nititur; de cælo lux

clarior oboritur, dat tandem manus, mentemque submit-  
 tit, vt qui eam iniecit, eandem dirigat in vitam melio-  
 rem: incitatur statim ad Societatem, quam ille plurimum  
 abhorrebat, vitæ modum procaciter ridet, vrget cogita-  
 tio, nihilque remittit, dum ipse resistit magis, emori po-  
 tius quam inter nos morari decernit: voluptatibus & re-  
 bus distentus varijs molestam sibi cogitationem conatur  
 depellere, agitati multa nihil procedit: imo verò premi-  
 tur magis & opprimitur. Quid tum? per utile cepit con-  
 silium, sacra nouem de Spiritu sancto viro sanctissimo  
 continenter facienda, curauit, vt sibi mentem iniectam  
 Deus confirmet si placet, infirmet si non placet. Crescit  
 in dies singulos, & nō dubijs significationibus ad hoc di-  
 uinitus vocari se intelligit: aperit Nostris consilium, petit  
 admitti: sed vt gratior fieret petitionis effectus, spes  
 ostenditur si studeat, atque executio differtur. Rei expeti-  
 tæ dilatione consequendæ cupiditas augetur, Dei que mi-  
 serentis ope, castigato vetere luxu, nouum induit homi-  
 nem: famulos dimittit, ac socios arrogantes & cerebro-  
 sos; domū facinorosorum olim receptaculum, Religioso-  
 rum diceret oratorium: mutata veste mutauit & mores,  
 frequentare gymnasium, cum religiosis viris spiritales  
 conferre sermones: defectus crebra confessione expiare,  
 se scutica cedere, sub nitido amictu vestes cilicinas oc-  
 cultare, genibusque nixus nudis multum in oratione per-  
 sistere, eleemosynam elargiri in pauperes, & non semel  
 culcitram qua cubabat, & vestem, qua togebatur stragu-  
 la, media luce per mediam ciuitatem humeris circundu-  
 cere togatus, & in pauperum hospitium deportare: se de-  
 nique inedia & labore ad eam vitæ asperitatem quam  
 meditabatur durare. His & alijs cognitis rebus in Soci-  
 etatem (cui Sacerdotium reliquit optimum) admittitur  
 operis domestici adiutor, vt ille dicebat, quo in munere  
 per decenniū occupatus, mirum quantum laboris pertu-  
 lerit

lerit! quantum ab honorum umbra & Sacerdotio abhorruerit! mirum quantum hominum congressus vitarit, quantum scientiarum cognitionem, quam multi vehementer appetunt, constanti animo respuerit! bis ab artium curriculo, quod inuitus instituerat precibus & lachrymis reuocatus, in Trigueriense collegium est missus, ut ibi ageret Ianitorem. Ibi eum Rector, hominis ignarus, libellum de imitatione Christi latinè conscriptum lectitantem offendit. Ergo ratus id ad ostentationem gloriosam vanitate ductum, fecisse, fratrem scilicet verbis duris accipit, ac rubore suffusum in culinam detrudit humilitatis muneribus exercendum. Ibi diu versatus, & varijs reprehensionibus affectus, ne verbum quidem protulit, quo suam excusaret innocentiam, imò cum Pater Rector viri perfectionem edoctus ad eius prouolutus pedes errati peteret veniam, ille culpam in se transferebat pudibundus. Hinc extractus & sacris initiatus ordinibus, insignis multarum repletur artium exitit, quibus vilis haberetur, nec humilis putaretur, qua in re plurima & illa quidem diuturna per annos duodequadraginta dedit documenta: honores enim non minus ferebat grauius, quam vani homines contumelias: domi coadiutoris munera lætus obibat, & foras egredientibus comes designabatur. Hispalensis Collegij minister factus, omnibus ministrabat ut seruus, & oblata, vel arrepta occasione omnibus persuasum esse volebat, quod ipse de se tacitus humiliterque sentiebat. Vnum aut alterum exempli causa de multis attexam.

SUPERIORE absente cum Rectoris vicem gereret; consultoribus visum est ut officij causa Præsulem quemdam optimè de Societate meritum inuideret, parat ille coactus, & honorificè à Præsule acceptus rubore suffunditur. At post verba vltro citroque officiosè habitata, cum Præsul sermonem de consilio quodam, responsio

non indigentem excitaret, Pater aperto capite, defixoque in terram obtutus: Ego, inquit, Illustrissime Præsul, sum omnium ignarissimus, nam propter ingenioli mei obtusam aciem me procul à studijs obedientia reuocauit; Socius adest meus apprime Theologia imbutus, quem familiariter illa de re rogare poteris: sic tacuit, Præsule tam vera animi summissione stupefacto. Indicentibus sibi tanquam superiori ab Archiepiscopo Hispalensi, sub excommunicationis poena vt iuuenem in Societatem admissum, & in tyrocinium missum parentibus redderet; respondit, Stultum & stupidum hominem rei domesticæ intentum alloquimini, istic, si placet, opperimini dum consulo, quid mihi sit respondendum. Alia his similia patri quotidie accidere permulta, quare nullum in animi summissione similem esse visum è Nostris affirmarunt quamplurimi.

**V E N I O** ad sanctæ paupertatis studium. Cubiculo utebatur pauperrimo: toga & lacerna haud à vilioribus tyronum abhorrente, in nuda tabula centone dumtaxat obuolutus per annos cubuit nonnullos. De abstinentia quid singulis ieiunabat diebus, cum cibo parco & frigida ad famem sitimque depellendam semel defungeretur. Eius orandi consuetudo sibi talem cum Deo familiaritatem attulit, vt quicquid orando peteret assequi videretur. Res hoc indicauit vna, quæ vicem habuit miraculi: Frater quidam summis afflictabatur doloribus, accurrit Pater, grauius laboranti subuenit, commouetur aspectu miserando, ad Deum aduolat, petit sibi dolores dum liberetur æger; nec prius orare destitit, quam in se dolores fenserit fuisse translatos; editur in vulgus commutatio dolorum, cognoscitur causa: erubescit primum Pater, dein per iocum eludit, postremò inter dolores subridens, Videro, inquit, posthac quid mihi ab amicis petendum sit: Denique huius se erat virtutum studium, ea sui ipsius contemptio,

contemptio, vt omnium pietatis excitaret ardorem, & qui eius probitatem explorauerint propius, antiqua dicerent Religionis exemplar amulandum: cuius mors consentanea vitæ fuit, tanta enim exultabat lætitia, in angustijs & doloribus, vt facies confecta macie lucem diffundere, & eius animus corporis ergastulo solutus celestium felicitatem percipere videretur. Longior fortasse fuit: cætera perstringam breuius.

DIE qui nouum aperit annum Circumcisioni sacro ad Cardinalem & Archiepiscopum Hispalensem Urbis Prætorem, sacrae fidei Quæitores, regio Consiliarios, Senatores, & Ciuitatis florem, quidam ex Dominicana familia concionem habuit plurimis erga nos beneuolentia notis insignem, qui, & alij eiusdem familiae frugali accepti conuiuio festum diem celebriorem reddiderunt. Diuina obeuntium mysteria frequentia tanta, vt diebus festis ad mille communicent. Nostrorum nemo patitur operam suam à quopiam desiderari, & nostram in exequendis ex instituto muneribus sedulitatem beneuolentia ciuim adæquat: vniuersa ferè Ciuitas, & Religiosi, literatiq; viri incertis rebus nos consulunt, variasq; controuersias P. Præpositi arbitrio componunt. Hæc beneuolentia cum insigni liberalitate coniungitur: tanta enim fuit Hispalensium liberalitas in summa ciuitatis inopia, & annonæ caritate, vt non solum necessarijs vitæ vsibus abundè subuenerit, sed in assiduam domus instructionem cumulatissimè redundauerit. Est enim aucta domus complurio ad res domesticas necessario, nonnullis cubiculis, & cella vestiaria superiori & inferiori: ad cæteramq; habitationem amplam quarta pars præcipua à primis suis fundamentis excitata in dies urgetur, & surgit adeo stabilis ad diuturnitatem, adeo ad speciem iucunda, vt nihil supra. Doctor Açoca vir gra-



uis & pius, optimè de Societate meritis, præter alias eleemosynas (quarum summa ad duo aureorum millia & trecentos peruenit) nunc largè nobis detulit sacra consecrationis vasa, binosque guttos è margaritifera cocleis effectos, miroque instructu & ornatu precioso comitatos, missale item cum ambone perpulchro, opere præclaro, quod omne quingentis aureis æstimatur. Varia præterea sacra suppellex, argentea bina candelabra palmis duobus altiora, vestes puero I E S V induendo dirissimæ (vt minora prætermittam) sacrum auxerunt apodysterium. Hæc domi-

**F O R I S** verò. Nostri profecti plenissima utilitatis itinera fecerunt: duo præsertim quæ octo Aiarasi oppida lustrarunt: vsus sacramentorum excitarunt, peccantes correxerunt, dissidentes pacificarunt, & tanta charitatis opera exercuerunt, vt si omnia numerentur, nullus scribendi sit modus. Oppidum ingressi in quo numerus incolarum millenum adæquabat primò malè accepti, & ferè explosi, Nostri Societatis muneribus & beneficentia iter ad oppidanorum beneuolentiam ita ostenderunt, vt agrè tulerint omnes post Quadragesimam discessum, & quos antea fugiebant, lachrymis retinere curabant. Itum etiam ad Pilas, vbi magno labori fructus proportionè respondit. Constituta est Sodalitas aduersus iurandilicentiam, populo ad rerum diuinarum cognitionem tracto, & criminibus expiato.

**COL**

## COLLEGIUM HISPALENSE.

**P**ATRIS Visitatoris prudentia, consilijs, exhortationibus, ad perfectiorem viuendi modum reducti omnes. Societatis commentationibus exculti, Iobileo potiti, vnde utilitas quæ solet: quam cum P. Visitator inspiceret, P. Rectori in mandatis reliquit, vt quotannis Nostros ante studiorum iusturationem his curaret meditationibus excolendos, id quod annis proximis fieri solitum sedulò ac diligenter hoc anno ingenti cum fructu factum est. Festis diebus bini per plateas nostri Fratres discurrunt, vt otiosam plebeculam ad rem diuinam audiendam aliter non audituram, impellant. Alij varijs in locis varijs occupationibus distentos Aethiopes, vrbisque seruitia erudiunt elementa fidei, & aures consentibus præbent. De huius Collegij doctrina magna apud omnes ordines opinio: quare cum quid grauius accidit deliberandum consilij causa ad Collegium concurritur, Religiosi que viri se consulentes, ad nos remittere solent.

**G**YMNASIVM abundat numero discipulorum, hi nongenti sunt, plures indole bona, diligentia singulari & probitate mira præstantes: verberum disciplina bis in hebdomada in suum ipsi corpus animaduertunt, concursu tanto, vt non semel, sed iterum repleatur. Ex his duo in Societatem, triginta in varias Religiosorum familias asciti. Præter menstruas omnium confessiones multi octaua quaque luce iuge Christi conuiuium celebrant, Mariani præsertim, quos Deiparæ Congregatio ad omnem disciplinam, & religionem educat. Successiuas horas


in assidua prece traducunt, festis diebus sub vesperam priuatum coetum efficiunt, vt in lectionem piam, vtilem veteris historiae narrationem, commodam vitæ perfectioris collationem, ac denique in vespertinas preces intendant: quibus peractis adeunt Nosocomia, sternunt lectos, consolantur agrotos, famelicos pascunt, inter quos minutos argenteos interdum diuidunt nummulos: alumnos vita functos humeris efferunt, honorariumque funus tunc in sacello. Congregationis prosequuntur, & in Collegij templo quotannis de integro faciunt iam sepultis, quod & concione & funebri oratione, & templi maximi cantoribus & symphoniacis cohonestatur.

C A B T E R V M quæ duobus proximis annis continenter diximus de Annunciata & doctrinæ Christianæ Sodalitate, hic expressum putato: hoc tamen addito. Numerus opificum ad nos doctrinæ causa confluentium in classes diuisus varias, in dies maior & perfectior. His vltima classis addita, Urbis seruitijs atque mendiculis, quos Sodales à prandio de vijs, plateis, & ludis, prece vel precio deducunt, vt doctrinam Christianam condocerant, & à Dominica in albis vt confiteantur, monentur etiam pro concionibus heri, vt serubs ad nos pomeridiano tempore facile mittant, vt tanto ipsi docendi munere liberentur, vnde fructus non spernendus. Cum de more ingenti Sodalium & auditorum concursu catechismum concidentium ciuitas lustraretur, res contigit non silenda. Mercator quidam adolescens diuinitus impulsus vtrò se Sodalibus canetibus tam gloriosi laboris socium adhibuit: audita concione alias merces cognouit longè suis meliores: quare omissa statim mercatura, fide futuri matrimonij data dote, & puella, qua erat breui coniungendus, amore Christi contemptis, ad monasticam vitam se recepit. Alter qui varijs sceleribus naufragium animæ fecerat, vitam detestatus priorem, relicto vitiorum scopulo, & arrepta

repta

repta pœnitentiæ tabula, Deum inelamat cum lachrymis, à quo sperat se in æternæ felicitatis portum adducendum fore. Scriba quidam regius cuiusdam Sodalis consilij & exemplo, munere se abdicauit rei augendæ periculoso, literisque vacat, vt Deo vacare possit in Religione quam habet in votis. Res sacra, & domestica aucta, hæc librorum copia aureis quingentis coëmpta, illa veste ad aram contegendam dono data preciosa.

## SEMINARIVM ANGLICANVM.

 LVMNORVM duodesexaginta capita sunt ad omne pietatis & doctrinæ studium aptissima, parendi virtute, legum custodia & studendi labore conspicua. Quatuor Vallisoleturn studiorum causa missi, duo in Nostrorum ordinem adscripti: ceteri suo ad virtutem exemplo nos prouocant, & florem ciuitatis ad se conuertunt & rapiunt. Templo Magno Gregorio Anglorum Apostolo dicato vltima manus accessit, quo tum capacitate nobili, tum structure nouitate perpulchro, in tanta Hispalensium templorum varietate & multitudine species pulchrior spectatur nulla. Reddunt hoc templum præsertim visendum tria tecta sex teretibus sustentata columnis, quorum medium bacillis mirifice tornatis in circuitu ornatum, quindecim efficit, ceu tribunalia, stationes, vbi primarij & honestissimi viri vel conciones audire, vel sacra in aris nouem facienda possint. Huc pridie Calendas Decembris diuo Andree sacro, cum Christi corporis translatio decreta esset, accurrit vrbis nobilitas, & sacrum Inquisitionis Tribunal, Scribæ, videlicet, à secretis, familiares, fisci Præfectus, & Quæ

Quæitores sacri, quorum antiquior sacrum fecit sole-  
ne, alumnis in choro ministrantibus, varietate vocum &  
suauitate sonorum, tibijs modulatè iniatis, fidiculisque  
numerose sonantibus adeo bellè, vt ad frequentandum in  
posterum templum hoc, mirum in modum inuitarint.  
Absoluto sacro Quæitor ipse cœlesti pabulo accepit  
alumnos, à quibus idem cum socijs acceptus conuiuio  
est, & oratione latina de D. Gregorij & Quæitorum lau-  
dibus, omnium assensu comprobata. Hac luce in lucem  
recens prodiit vestis sacra, textili auro, ac uque picta  
magnæ dignitatis ac vetustatis, tum ad Sacerdotem &  
ministros, tum ad altare & suggestum conuestiendum  
duobus millibus aureis coempta, & nobis dono data ab  
honestâ fœmina, iam demortua, cuius impensis & fra-  
trum suorum liberalitate H-S. quinquies consumptum est  
in templi structione, cuius maximum sacellum funda-  
triciis & fratrum sepulchro dedicatum est.

H V I V S Seminarij Sacerdotes Anglis, Hibernis, &  
Scotis, quorum maximus est in hac ciuitate numerus,  
tum in mercatura, tum in carceribus, aut triremibus de-  
tentorum catechesin edocendis, vacillantibus in fide con-  
firmendis, iacentibus erigendis, dissidentibus concordan-  
dis, & confitentibus audiendis operam egregiè nauant,  
quam ciuum suorum saluti dedicatam cum nouerint fi-  
dei Quæitores, illis ad Anglos ex heresi deducendos v-  
tuntur assidue, subiiciuntque informandos. Quidam è  
Nostris cum Gadibus verno tēpore versaretur, & in mu-  
rorum ædificatione ducentos ferè Anglos ad pœnam la-  
borantes offenderet hæreticorum opera corruptos, suæ  
gētis misericordia motus, in vnum omnes conuenire cu-  
rauit, vbi cōcionantis, & amicè monentis verbis, cœlesti  
gratia conatus fortunante, ita multi commoti sunt (pro-  
positis prius & salutis nostræ fidei capitum nodis, quæ in  
dubium ipsi vocabant) vt in pristinum Religionis statum  
restitui

restitui flagitarent. Sed instante Patris profectioe, alter  
 alumnus in eius loco suffectus ( id postulante & sumptus  
 ministrante Principe viro Petro de Toledo ) ex semente  
 facta fructus adhuc metit vberimos, Christo que gratif-  
 simos. Cæteri scholasticis rebus intenti mirificum inge-  
 niorum specimen præbent, tum in carminibus octo lin-  
 guarum varietate componendis, tum in alijs doctrinæ  
 muneribus, & in totius Theologiæ disputationibus de-  
 fendendis, tres insignem doctrinam cum singulari mode-  
 stia coniunctam exhibuerunt. Acta est intra priuatos pa-  
 rietes tragicomœdia, quæ gaudio fuit & admirationi il-  
 lustrissimæ auditorum coronæ: spectaculum enim non se-  
 mel, sed iterum, ac tertio repositum honestarunt, præter  
 ciuitatis florem, Illustrissimus Cardinalis de Castro Ar-  
 chiepiscopus Hispalensis, Dux de Alcada, Marchio de Ta-  
 rifa, fidei Quæsitores, multi Religiosi viri, & Senatores  
 varij.

HIS incitamentis vix dici potest, quantum Semina-  
 rij nomen, & alumnorum decus augeatur. Ex his Ricar-  
 dus Lebison, illustri morte diem confecit suum, cum an-  
 num 24. ageret, iuuenis sane tum literis & probitate,  
 tum ingenij acie, & generis claritate præstabilis, qui  
 cum ab Anglicanis Academijs doctrinæ vbertatem, fil-  
 uamque dicendi duxisset, & magnam de se concitasset  
 expectationem, coelesti luce illuminatus cognouit nihil  
 esse infra lunam nisi mortale & caducum præter virtu-  
 tem, cuius amore incensus, egressus de domo patris sui  
 venit in terram, quam monstrauit illi Dominus, Romam  
 scilicet, vbi P. Robertum Personium conuenit, seque il-  
 lius subiecit obedientiæ, qua nixus Hispalim studiorum  
 causâ venit, & in hoc Seminario annum vixit ita sanctè,  
 vt omnibus esset admirationi & exemplo: defixus enim  
 & intentus in Deum omne nauabat studium orationi &  
 mortificationi; sed nulla illi maior, quam frantum pœ-  
 nitentijs

nitentijs suis à superiore iniectum. Et quamuis omnes contenderet neruos vt familiariter cum Deo versaretur omni tempore, quatuor singulis ferè diebus horas in oratione ponebat : nec studendi cura inferior: literis & probitate ceteris prestabat. Deniq; in morbum incidit, quem mors consecuta est ab omnibus expetenda. Dimidia hora ante felicem transitum enixè petiuit Eucharistiæ sacramentum, quo impetrato, finem suum circumstantibus prædicens, petijt vt genua flecterent, iunctisque manibus pro se orarent, ipse verò sanctæ Crucis signo munitus palmasque ad coelum tendens emisit animam cum illis verbis, In manus tuas Domine commendo spiritum meum, redemisti me Domine Deus veritatis.

## COLLEGIUM CORDVBENSE.

**R**ES domestica piorum eleemosynis, sacraque suppellex altaris, Sacerdotis ornatu auro, & serico intertexto aucta est. Auditorum doctrina pietas & frequentia crescit in dies, ingeniorum specimen non rarò præbetur. Philosophiæ & Theologiæ disputationes celebrantur, tum doctissimorum frequentia qui quæstiones ponunt aliquot, & positas argumentis promouent, tum Episcopi Ordini nostro deditissimi & amantissimi parentis præsentia, qui Nostrorum ingenijs, & auditorum doctrina plurimum delectari videtur. Nec Oratorum hebescit acies, nec Poëtarum Musæ silent mansuetiores. Philippi enim iusta funusq; honorarium, multis versibus à Nostris celebratum est, quæ Collegio existimationem conciliarunt magnam, necnon quæ sequuntur. In publica Christi corporis supplicatione  
Senatus

Senatus Cordubensis, & sacer & prophanus, ut nos cohonestarent, iter instituerunt per templum nostrum, pompamque flexerunt, præter consuetudinem: nos ut re ipsa atque animo præberemus gratos, qua longè templi paries, & platea porrigebantur, quatuor excitauimus aras materia, & arte pretiosissimas, face plurima collucentes & peritromatis ex damasceno bombicino, & opere phrygio factis conuēstas, super quæ carmina extensa erant multigena, quæ pompæ celebritatem commendarent, & legentium oblectationem auerent: accendebantur interim odores, qui cum herbis & floribus singularem affabant suauitatem. Partheniani verò sodales arcum struxerunt, varia visendâq; arte conspicuum, quem emittens Beatæ Virginis effigies à septem alijs simulacris artes liberales propriè verèq; exprimentibus, tanquam comitata: quod ita Senatui arrisit utriq; , ut in posterum nobis inuitis Christum Dominum hac circumferendum, cum eadem pompa quotannis, decreuerit.

COMMENTANDI ratio de diuinis rebus, quæ exculti sunt Nostri, vitæ sanctioris cupiditatem iniecit, quod fraterna charitas & virtutum æmulatio demonstrat. Ductum non semel per vias domumque reductum à grauioribus nostrorum discipulorum agmen catechismum concinentium (ut anno proximo dictum est) & maiori cum fructu flagellorum consuetudo repetita est in templo nostro, vno è Nostri aliquot historiæ veteris exemplum fideliter narrante: quo ita virtutem accēdebat, ut certaret de loco multitudo, nec templo caperetur. Nexi aut vinculis aut morbis frequenter aditi, & adiuti utroque cibo, ad quod Marianis vtimur adiutoribus, quos Illustrissimus Episcopus semel atque iterum inuisit, sacrumque panem in Virginis sacello porrexit, cum sensu pietatis ingenti. Actum cum Senatoribus ut statutis temporibus sermo in Senatu habeatur de rebus ad Rempu-  
blicam



blicam rectè gubernandam necessarijs: res iucunda Vrbi propter vtilitatem. Solita in nos benevolentia ciuium, nostraque in exequendis ex instituto muneribus constantia, & diligentia constat. Neque verò ciuitas nobis amicior rei sacrae Antistite, & fidei Quæstoribus, quos non factores solùm, sed etiam laudatores habemus. Cum dicecesim lustraret Episcopus, duos è Nostris laborum socios secum adduxit, magno populorum commodo, qui purgati sunt, & instructi.

EXCVRSIO in pagos & oppida septuaginta Mariani montis Illustrissimi Episcopi rogatu facta, vtilissima visa: subuentum est enim & pluribus animorum, & interdum corporum necessitatibus. Nonnulli ab inueterato pellicatu recesserunt. Quædam omnium opinione virgo, cum vterus intumesceret, infamiam cum sobole paritura potionibus irritis, vel aqua, vel laqueo vitam sibi eripere cogitabat; sed Nostrorum hortatu vt melius sibi consuleret adducta est. Multi à cogitatis, susceptisque sceleribus abducti. Mulier vna matrimonio coniuncta est cum viro, quicum annos multos turpiter vixerat, liberoque susceperat. Ad extremum vberimos Christo fructus multis egregiè constitutis reportarunt.

## COLLEGIUM GRANATENSE.



GRANATAE toti sumus (vt nostra fert consuetudo) in auxilio proximorum, necnon labori fructus respondet, nullus Nostrorum indiget ope, cui non subsidia mittantur. Variarum multiplicisque animorum conversiones, quarum semper ingens est numerus; quatuor à desperatione, qua vitæ mortem

mortem præferabant abstracti. Ex multis queis religiosa vitæ monstratur iter, quindecim ex superiore gymnasio, alij ex alijs ad religiones varias perducti sunt. Ex mulierculis octo, in propatulo pudicitiam habentibus, audita Mariæ Magdalene concione, quam vnus è Nostris habuit, quinque sunt ad pœnitentiam cōmotæ, & adhuc in officio continentur, auxilio Nostrorum. In Nosocomio singulis quoque dominicis diebus, singulis pietatis muneribus Nostris funguntur.

MISSI ex hoc Collegio Sacerdotes sex in oppida varia, qui concionibus, & confessionibus, ac catechismo intenti, haud inutiliter laborarūt. Seligam minus communia. Itum est à binis Antiquariâ Urbem propter immunitatem celebrem, vbi omnium voluntates ita conciliarunt Societatis muneribus persanctè functi, vt ore pleno sancti appellarentur à vulgo; nec immerito, laborem enim confessionum ad multam noctem à prima luce trahebant, vilibus pasti cibis, hisque propria manu conditis, in casa coelorum inclemetiæ peruia degentes per hyemem. Alter in Quadragesima triginta & eò amplius conciones habuit acceptas iuxta vtilisque, tanto ciuitatis plausu, frequentia, & stupore, vt mirarentur multi indefessum hominis studium & viuidum spiritum animique magnitudinem in oblati muneribus reijciendis, quare ciuitas Collegij fundationem vrget. Idem prorsus ab alijs binis per septem oppida diœcesis Guadixiensis factitatum. Ijdem excursionem fecerunt vtilissimam in oppidum Sexi (Motril incolæ vocant) quorum alter ita acceptus est concionator, vt homo de cælo lapsus crederetur. Conciones habitæ perutiles, quibus commoti ciues confessiones constituebant à prima ætate reperere, dissidentes reconciliabantur, malè parta restituebant, testamenta reintegrabant, mirum quanto concursu Nostrum sequebantur: concionis enim tempore negocia omnia desere-

bant, & audientes gemitus & lachrymas continere non poterant. Cum è nostris alter, qui Catechistam agebat, ad sacchari torcularia, vbi ingens est mendiculorum multitudo, admonerentur à multis, vt si posset quemdam homunculum omni ope destitutum in viam reduceret, qui cum animam ageret nihil ad salutem æternam agere curabat. Itur ad eum, iacebat humi prostratus aspectu horridus, macie confectus, oculis introrsum actis, compellat leniter primò Noster, foras illum educit, hortatur confessionem, respuit ille percitus ira, quod non esset in Nosophocomio admissus: impetrat noster à Præfecto vt in horam saltem admittatur, confitetur, accipit Eucharistiam, sacro vngitur oleo, pauloque post moritur.

EXCURSVM est in oppidum Priego, vbi sequimensem operam duo Patres ex Societatis ministerijs haud poenitendos fructus decerpentes posuerunt: cum è Patribus vnus in templo publica esset inuectus in vitia, literatus quidam vir occultis motibus se à Domino sentiebat impelli, vt inimicitias cum propinquo deponeret: diuinæ voci resistere non potuit, quin statim se dans in eius amplexus pristinam rediret in gratiam, cum esset ipse in quem fuerat iniuria contorta, idem prorsus nonnullis alijs accidit. Lustratus est carcer, è quo postulatione Nostrorum aliqui fuerunt dimissi, inter quos mulier, quæ ira percita ingrediens domum oppidani in vxoris facie grauem infixit plagam, cui vt ignosceret, Nostrorum preces obfirmata mente vxor & vir, ne ad aures quidem volebant admittere: tandem ipsa profectionis die, precibus fracti irata pectora mitigarunt. Mulier cum exoraretur vt tres homines dimitteret liberos, qui virum suum in rixa occidisse dicebantur, omnes conditiones præcisè respuebat, tandem se flexit, destitit que à conquirendis authoribus facinoris, & vni quem in carcere tenebat constrictum veniam dedit, à quo vltimas nundum poenas

repe

repetierat. Multi vniuersæ vitæ maculas confessione elue-  
runt. Vulgo iactabatur à Nostris sibi velut nouum lumen  
obortum, quo tenebris epulis rectam veritatis viam  
possent intueri.

## COLLEGIUM MONTELLANVM.

**R**ÆSENTI anno pluribus quam superio-  
ribus pepercit morbus, decerpfit tamen fra-  
trem Alphonsum de Valentia, cuius virtus  
multum antea maturauerat, septuaginta na-  
tum annos in Coadiutoris temporalis gradum adopta-  
tum, haud communi quodam genere lethi defunctum:  
cum Medicus inuisisset fratrem alium pleuriticum, eius  
sanguinem missum sibi iussit ostendi: ostenditur, ad quem  
videndum ille inter alios accedens subito depræuati cor-  
ruptique sanguinis aspectu percussus, IESVS nomen  
iterans ter corruit è vestigio. Medicus deliquium esse  
coniiciens: pulsum vcharum explorans, easque micare  
non sentiens, rem esse periculi magni denunciat, sacro  
perungi oleo celeriter iubet, omnem tamen celeritatem  
vis intestini morbi præcucurrit, extremum quippe humi  
iacens spiritum emiserat, dato deinde viginti quatuor  
horarum spatio cum nullum spirantis præberet indicium,  
funeri postridie manè perfoluta sunt iusta. Duas huius  
obitus causas coniectamus: vnam quod tempora succifi-  
ua, in vitium quæ domi erant amputanda sarmenta con-  
ferebat, ingenti cum labore, sudoreque, in tam exacta  
præsertim atate: alteram quod sæpenumero precibus  
enitebatur à Domino, largiretur id sibi, vt sine molestia  
domesticorum decederet: duobus ante diebus generali  
confessione & Eucharistia fuerat præmunitus. In more

posuerat, omnia momenta quæ vacua sibi munus relinquebat coram sacro Christi corpore traducere. Idem in carcere, Xenodochijsque lustrandis curius tenetur, negotium verò faceffiuit hoc anno lues, quæ mensibus abhinc sex grassari cœpit, milléque & eo amplius vtriusque sexus absumpsit. Meditationibus spiritualibus nonnulli sunt excultri.

D V AE sunt excursiones susceptæ: altera Regis Philippi Legato postulante, in suæ ditionis villam nomine Cabra, à duobus Patribus, vbi singulis diebus mane & vespere conciones habebantur, quibus & reliquis susceptis laboribus fructus haud exigui responderunt. Fuit pium agmen instructum ad nostræ fidei elementa cantanda, magna omnium lætitia, admurmuratione & plausu. Corroboratæ iam odio & tempore, sedatæ sunt controuersiæ, nascentes aliæ compressæ. Altera excursio in Abbatiam Regij Compluti, vbi, cum nondum eò Nostrorum satis cognitio peruenisset, ministeria fuerunt eximio omnium gaudio accepta, obitæque ingenti cum fructu. Nobilis quidam morabatur in Vrbe omnium offensione duarum muliercularum pellicatu deuinctus, cuius animum nostris concionibus tanquam reperitis ictibus ita mutauit Deus, vt, quamuis è duro silice, diuini amoris scintillas excusserit, & pellices ablegauerit. Hac in Vrbe duo potissimum Nostrorum amorem excitarunt: tum integritas Societatis in pecunijs & muneribus oblati remittendis, tum ardens præbendi consentibus aures desiderium. In nostro Montellæ Collegio princeps facellum ad audiendas conciones laxatum: collectitia pecunia in suggestum faciendum locata: ædibus accessio facta.

## C O L L E G I V M

## M V M A R C E N E N S E .



ONSULTVM est hoc anno pauperibus nexis & solutis, corrogato aere in summa annonę caritate. Die Diuo Sebastiano sacro inter concionandum quidam è Nostri acriter in procrastinantes & differentes confessionem inuectus est, addens nonnullis forsitan ex adstantibus extremum hunc vitę diem agi. Mirum dictu, vix discessum erat à concione, cum ecce repente mortuus quidam multis inspectantibus corruit, quo audito omnes magnus similis supplicij timor oppressit. Hoc primum anno bacchanalibus, quo tempore pudoris omnibus, officijque repagulis perfractis liberè vagatur improbitas, sanctissimum Christi corpus, aperta eminentis pyxide propalam in ara ad placandum scelerum seuerissimum vindicem collocauimus: vbi multi genibus nixi per multas horas à cæteris abstracti perstitere. Mulier quædam nobilis decedens aureos nobis centum ad bibliothecam, totidem ad pyxidem suo testamento legauit.

EXCURSIONVM solennis extitit fructus, in oppido præcipuo quodam (Arahal vulgò vocant) in quo erat tanta voluntatum animorumque distractio, vt discordantibus mèbris, nihil aliud, quam totius corporis interitus timeretur, Deo benè iuuante Nostri omnes ad pacem atq; concordia reduxerunt. Ecclesiastici duo conuictijs mutuis vtriusque contortis odio capitali dissidebant: is verò cuius magis erat læsa dignitas, Nostrorum hortatu se flexit, & populo quem offenderat inspectante ve-

niam ab inimico prouolutus in genua suppliciter postulauit.

COLLEGIUM  
BAEZANVM.



VICTOR est facta templi domusque suppellex. In carceribus detentis, ægris, & capite damnatis opera diligenter impenditur. Suscepta expeditio in oppidum cui nomen Inatorape, habitæ conciones, & elementa Christianæ disciplinæ instructo publicè agmine decantata. Instituti pueri, sublatiisque lasciuioribus cantiunculis pia carmina suffecta. Innumerabiles auditæ confessiones, aliquot ablegatæ concubinæ. Tabernæ aleatoricæ occlusæ, sedatæ discordiæ, quæ gliscentibus odijs publica multa mala portendebant.

COLLEGIUM  
MALACENSE.



XCVRSVM est hoc anno in oppida duo, quæ concionibus erudita sunt, cum quibus laborandum fuit, vt nostrum discessum æquo animo perferrent; ita nos modis omnibus retinere cupiebāt. Tradita sunt viro nobili Sacerdoti exercitia spiritalia Societatis. In custodijs publicis detenti inuisuntur assidue, expurgātur confessione, refectiq; cœlesti cibo apparatus epulis accipiuntur. Firmantur etiam de more morti destinati, neque à denunciata capitali sententia vsque ad persolutum supplicium deferuntur: eorum

rum verò qui detinebantur in carcere viginti ære alieno liberati sunt. Huc appulerunt triremes malè ab hostibus, & rerum omnium inopia acceptæ, miserandum sanè omnes diloricati, omnes dilacerati, plerique nudo corpore, vulneribus confossi, semimortuiq; iacebât. Oblatam Nostri tenuerunt occasionem, corrogant ostiatim pecuniam, conuehunt fomenta, cibos & medicamina ægris, vestes nudis, mortuorumque cadauera ritè ad sepulturam infuunt: humandaque curant. Fœmina quædam primaria infami turpitudine Ecclesiastico cuidam obstricta tenebatur, cuius eò processerat libido, vt nec cognatorum ferrum, quod quotidie magis acuebat, extimesceret: verum Dei miseratione factum est, vt Nostri sacerdotis ad meretrices habita concione, fuerit permota, mirandum quidem, anteaactæ vitæ recordatione perculsa, confessionem tanto cum dolore lachrymisque peregit, vt nostrum nobis teporem tacitè exprobrare videretur. Auçtior fit in dies numerus scholasticorum, qui literis ad humanitatem informantur, vnoque anno viginti se in varios Religiosorum cœtus contulerunt.

COLLEGIUM XE-  
RENSE, ET  
Gaditanum.



VAMVIS hoc Collegium Xerense in tantum exiguum Sociorum numerum fuerit redactum, industria tamen in omnibus nostræ Societatis muneribus eluxit: multos spectatos adolescentes varijs cœnobijs scholæ pepererunt, tres potissimum nostræ Societati, inter quos admirabilis extitit nobilis quidam adolescens, ad quem è proposito dimouendum,



nullas non lachrymas parentes fuderunt: omnia tamen irrita fuere: illius quippe mentem cælestis obarmarat potentia. Itum est hinc in oppidum Mellariam à duobus Patribus, vbi bimestrem operam non sine fructu collocarunt.

IN Gaditano vtilitati animorum diligenter incumbitur, conciones habitæ multæ, pauperes multi sustentati, ægri criminibus expiati, & moribundi de more confirmati. Augetur quotidie numerus puerorum (ni malis infantes dicere) qui prima elementa condiscunt: nec desunt multi qui exhausti licet, & inopes, nostris tamen necessitatibus, quantum eorum patitur tenuitas, opem ferant. Aurei nobis sunt donati sexcenti: odæum nouum extructum, & sacrarium. Deletum ex templo vetus rectorium, & nouum inductum, aliaque instaurata oppidanorum liberalitate, quam ad rem Philippus Rex mille aureos imperauit.

---

## COLLEGIVM TRIGVERENSE, ET Vbedanum.

**I**N Triguerensi Collegio lucris animarum est opera nauata diligenter, cuius opis Ducis Metinensis rogatu non nihil deriuatum est in oppida suburbana. Extrema hoc anno manus initio mensis Augusti, nouo huius Collegij templo præter omnium spem, & opinionem accessit, cumque indituri essemus sacrosanctum Christi corpus in nouum tabernaculum, indicta est solennis quædam & celebris supplicatio, quo audito ita totum oppidum refertum est omni hominum genere, ex circumiacentibus locis, vix vt iam capere possent.

re posset .Die verò quæ Deiparæ natiuitatem præcedit, magna in nostrum Collégium multitudo cõfluxit, simulque permulti clerici, qui vnâ cum Nostris linteati in agmen sanctissimum Christi corpus preciosis ferculis educentes processerunt. Quacunque pompa progredetur sonitu tibiarum, & vocibus cantorum tota vicinitas personabat, medijs interiectis pedes ad numerum mouentibus saltatoribus. Introitu templi maximi tabulatum erat excitatum, vbi diuæ Catharinæ Romanæ historia peracta est. Ventum est tandem ad nostrum templum, quod erat mirificè ornatum, & face plurima lucens: gratijs verò à P. Rectore habitis, factoque solemni sacro discesserunt: die tamen Natiuitatis Virginis Mariæ religiosi Carmelitanæ familiæ inuitati ad nos venerunt, vbi ex illis quidam solenne Sacrificium, reliquis ministratibus, peregit: eorum verò moderator primum de diei solemnitate, dein de nostris laudibus concionatus est, & frugali accepti conuiuio templum, domumque nostram cohonestarunt. Pater verò Rector huius erga nos finitimorum oppidorum officij reliqua ex parte remunerandi gratia Patres nonnullos in oppida misit suburbana. Aucta est templi, domusque supellex: extructum triclinium, culina, vestiumque custodia, & domus vniuersa laxata, oppidanorum liberalitate & studio erga Nostros, quod apud illos quotidie magis ac magis ingrauescit.

IN Urbano nihil peculiare, omnia tamen cum cæteris communia factitata.

COLLEGIUM  
ASTIGITANVM ET  
Cazorlanum.

**I**N Astigitano sacrum ac domesticum amplif-  
ficatum instrumentum : hoc enim anno initio  
mensis Augusti duæ foeminae primariæ huius  
ciuitatis nostrum Collegium viginti quatuor  
millibus aureorum dotauerunt, quarum duo fratres qua-  
tuor aureorum millia ad hoc tam religiosum opus con-  
tulerunt : Nostræ Societatis munera obeuntur ingenti  
cum fructu ciuitatis: reliqua cæteris communia. Claudet  
verò hoc Collegium infelix obitus cuiusdam adolescen-  
tuli (annum quippe agebat decimum quintum : ) is erat  
nobili familia natus, nostrasque Montellæ scholas fre-  
quentabat, Societatis mentem suscipit, vrget Nostros, ad-  
mittitur; post aliquot verò menses labare nonnihil in su-  
scepto consilio cepit. Nostri eum fulcire curant, adhibent  
frustrà remedia: egreditur denique è tyrocinio, huc venit,  
exceptus est perhumaniter à Nostris, & Logicæ nauare  
operam incipit vberrimo cum fructu : Non tulit diuina  
sapientia hanc sui tyronis fugam impunitam. Vix decem  
agebantur menses, ex quibus Societati remiserat nun-  
cium, cum ecce tibi quadam die miser ille, sui que casus  
prorsus ignarus gymnasium de more adit, ad verba cum  
condiscipulo venit subacerba, qui leuicula hac occasione  
data vsque adeo exarsit iracundia, vt iuuenem per sum-  
mum scelus adortus, bis repetito pugione ira confoderit,  
vt intra horæ quadrantis spatium animam exhalarit.  
Omni facultate præclusa peccata confitendi. Huius re-  
pentinæ mortis ad omnes statim affluit rumor: aduolant  
in do

in domum nostram multi viri nobiles ciuitatis, videntés-  
que cadauer suo cruore volutatum, animo perculsi hæ-  
rent, Dei que iudicium verbis & motibus significant,

IN Cazorlano auctus est auditorum numerus, ad du-  
centos, & eo amplius. Sodalitium extitit Deiparæ, quod  
fit melius in dies. Institutum etiam conuictorium, quod  
eisdem quibus Bellemontense regulis, & institutis edu-  
catur; ex quibus se nonnulli ex huius pelagi periculis in  
Religionis portum contulerunt. Domi foris que concio-  
nes frugiferæ habentur, expeditiones susceptæ sunt in  
oppida circumiacentia, in quibus nostri sic vtiliter con-  
cionati sunt, vt postea opprimerentur multitudine pec-  
cata confitentium: tantus enim animis iniectus est ardor,  
vt omnes antelucanis horis sese certatim effunderent ad  
noxas detegendas, nudandas plagas animi, & confessio-  
nem peragendam, quam vel à primis annis multi repe-  
tierunt. Nobilis quædam mulier, cui nulla vnquam cum  
Nostris intercesserat necessitudo, rem suam familiarem,  
quæ duobus aureorum millibus æstimabatur, perpetuò  
nobis addixit, ac donauit.

PR ©

